



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 9. De magnitudine Lethalis offensæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

DISPUTATIO IX.

DE MAGNITUDINE LETHALIS OFFENSÆ.

339. **P**lures sunt sententiæ Doctôrum. Prima docet, peccatum lethale in ratione offensivæ esse simpliciter infinitum. Ita Cajetanus; Alvarez; Coninch; Petrus Hurtado; Berial; Godoy; pluresque Thomistæ cum Gonnêt disput. 9. de peccatis. Secunda sententia negat. Ita Scotus; Exim. Doctôr, Vasquez; & communiter Noltri. Cæterum inter Doctôres primæ sententiæ varii sunt sensus; aliqui enim dicunt, offensam esse simpliciter infinitam physicè ratione Dei; qui est quasi forma infinita physica offensivæ; alii ratione infinitæ vilitatis creaturæ; quæ includitur in offensivâ; alii cum Gonnêt docent, non quidem physicè, sed moraliter tantum esse infinitam; quia Deus non constituit offensam per unionem physicam cum actu peccati, sed per unionem moralem; & quia evadit infinita ratione infinitæ poenæ, quam lethalis offensivâ promeretur per vim moraliter infinitam. Alii docent, esse simpliciter infinitam, sumptò ly *simpliciter* rigorosè; prout scilicet quælibet offensivâ continet formaliter, & eminenter omnem rationem offensivæ; sicut Deus dicitur infinitus simpliciter in ratione entis; quia formaliter, vel eminenter continet omnem entis perfectionem; alii sumunt ly *simpliciter*, non rigorosè; sed propriè, prout scilicet quævis offensivâ licet non contineat omnem rationem offensivæ, continet tamen infinitatè in sua linea; sic Petrus dicitur simpliciter homo ex eo, quod contineat perfectionem requisitam ad essentiam hominis; licet non contineat perfectionem omnium hominum. Ad examinandum istos omnes dicendi modos, præseindimus in præsentem ab illa quæstione, in qua disputatur, an peccatum sit in positivo, an in negativo, & conveniemus cum Adversariis; dari peccatum lethale; quando homo transgreditur legem divinam advertens, illam transgressionem sibi esse graviter à DEO prohibitam.

SECTIO I.

Resolvitur Controversia.

339. **A**ssero 1. Offensa Dei non est simpliciter infinita; sumptò ly *simpliciter* rigorosè. Probatur Deus, ut ex terminis constat, non offenditur per quamlibet offensivam, quantum offendibilis est: atqui ita necessariò offenderetur; si quælibet offensivâ esset infinita simpliciter: ergo &c. Confirmatur 1. Si quælibet ita esset simpliciter infinita; nulla esset major aliâ, cum supra infinitum simpliciter non possit dari majus: sed hoc præterquam, quod fuit error Joviniani; & Stoicorum, est contra Scri-

pturam Joannis 19. Ubi Christus dixit Pilato: qui me tradidit tibi; majus peccatum habet: ergo &c. Confirmatur 2. Si offensivâ esset simpliciter infinita; esset tanta in ratione offensivæ; quantum est meritum Christi in ratione meriti; siquidem in utrisque reperiretur infinitudo simpliciter; sed Christus brevissimo suæ vitæ tempore non potuit elicere tot actus, quot à principio usque ad finem mundi erunt peccata; ergo non satisfecisset adæquate pro peccatis totius mundi; verum hæc infra clarius constabunt.

340. Ante Secundam assertionem notare oportet, propugnatores physicæ infinitudinis offensivæ distinguere duplicem offensivam; primam dicitur merè affectiva; quæ licet quoad affectum sit offensivâ, in re tamen non est offensivâ; v. g. si quis percussit Paulum existimans; esse Petrum, offendet Petrum affectivè; non effectivè; similiter si quis efficeret actionem; existimans, esse contra jus Dei; illique displicere; si non esset tale jus Dei; neque ex hoc titulo displiceret Deo; offenderet affectivè Deum & non effectivè; secunda dicitur effectiva; quæ in re; & affectu est offensivâ Dei; & contra jus Dei; & displicentiam; primam fatentur non includere Deum; sed stare in aggregato ex actione physica mala; & ex advertentia ad Dei jus; & displicentiam; secundam verò dicunt includere ipsam Deum; hæc tamen explicatio manifestè includit repugnantiam in terminis; cum nequeat aliqua actio esse affectivè contra Deum; & non effectivè; nam in illis circumstantiis nequit Deus in ea non graviter displicere. His præmissis

341. **A**ssero 2. Offensa Dei non est simpliciter propriè infinita physicè, vel moraliter, assumendo infinitatem simpliciter à Deo tanquam à formâ physica, vel morali. Probatur 1. Eo ipso, quod fiat actus cum advertentia gravis prohibitionis divinæ; sive ad jus, quod habet Deus, ne offendatur in illo conjuncto ex illa advertentia; & actu afferente carentiam rectitudinis graviter debitæ; datur offensivâ Dei affectiva; & effectiva; sed Deus neque est formalis conjunctionis, neque in illo includitur; ut ex terminis patet: ergo &c. Confirmatur 1. Non minus est finitum simpliciter peccatum lethale, licet sit secundum quid infinitum; quatenus respicit objectum infinitum offensum; sed illud conjunctum, utpote ex actibus finitis, est simpliciter finitum: ergo etiam peccatum lethale est simpliciter finitum. Minor; & consequentia certæ sunt; maj. autem videtur nota ex terminis, simulque est expressa Div. Thomæ doctrina quæst. 2. de malo, art. 9. ad 5. ubi hæc habet: peccatum essentia-

M m 3
liter

*liter finitum est, licet habeat aliquam habitu-
dinem ad bonum infinitum; & 3. part. quæst. 1.
art. 2. ad 2. peccatum contra Deum commissum
quandam infinitatem habet ex infinitate Divine
Majestatis; ubi notanter apponit quandam,
& non simpliciter; quia in doctrina Div. Tho-
mæ peccatum non est simpliciter infinitum,
sed secundum quid ex habitu ad Deum of-
fensum, qui infinitus est.*

342. Confirmatur secundò, non minùs est evi-
dens lumine naturæ, creaturas debere placere,
& non displicere graviter Deo, quàm sit evidens
dari creaturas, & dari Deum, atqui supposita
hujusmodi cognitione, actus, quo amo De-
um propter se, & creaturas propter Deum, non
solus est bonus in affectu, sed effectus: ergo
supposita hujusmodi cognitione actus, quo vo-
lo graviter displicere Deo, non solus est malus
in affectu, sed in effectu, ac proinde in illo con-
juncto ex illa cognitione, & tali actu, stat es-
sentia peccati lethalis. Confirmatur 3. Posi-
to actu, cum advertentia prohibitionis divinæ
de re levi in conjuncto ex ea advertentia, &
tali actu afferente carentiam rectitudinis levi-
ter debitæ datur per Vos peccatum leve: er-
go posita tali advertentia, & actu afferente ca-
rentiam rectitudinis graviter debitæ, quo Deo
displicet, datur in eo conjuncto peccatum gra-
ve. Confirm. 4. Posito actu dilectionis cum
advertentia ad præceptum Dei datur per Vos
affectiva, & effectiva honoratio, & obsequium
Dei, quin Deus sit forma illius obsequii: ergo
posito actu odii, cum advertentia ad prohibiti-
onem gravem Dei dabitur affectiva, & effectiva
inhonoratio, & offensa Dei, quin Deus sit for-
ma illius inhonoratiois, & offensa. Con-
firmatur 5. In eo stat offensa effectiva Dei, ad
quod tendit displicentia gravis Dei; sed ten-
dit ad conjunctum ex eo actu, & cognitione
gravis prohibitionis, non verò ad ipsum De-
um: ergo totum constitutum peccati lethali-
s stat in eo conjuncto, & non in ipso Deo.

343. Respondebis ex Godoy, Gonner, & Conren-
son, Deum esse formam offensa, non autem
obsequii, quia diversimodè comparatur ad of-
fensam, & obsequium; offensa enim ex Phi-
losopho stat in offenso, obsequium verò non
in honorato, sed in honorante; Deus quidem
per offensam affectivè subjicitur homini, de-
struitur, & patitur offensam, quod moraliter
idem est, ac si in re subiceretur, pateretur of-
fensam, & ab homine destrueretur, quod nempe
in æstimatione morali nequit non esse ma-
lum infinitum, ac proinde nequit non habere
Deum, ut formam talis offensa; ideòque of-
fensa, ut ait Divus Thomas, est major, quò
major est ille, in quem delinquitur; hoc autem
non contingit in obsequio, sed è converso.

344. Contrà tamen 1. omnia peccata mortalia
non tendunt affectivè ad Dei destructionem:
ergo &c. Probatum antec. peccatum, quo quis
vult furari rem alienam (idem esto suo modo
de aliis) non tendit formaliter ad Dei destru-

tionem, ut per se patet deinde; neque æqui-
valenter: ergo &c. Probatum secunda para-
antec. homo non vult destrui rem, quam vult
furari; sed si veller destructionem Dei, veller
destructionem rei, quam vult furari; cum ea
sine Deo conservari non possit: ergo &c. Con-
firmatur 2. homo solum vult per aliquem ac-
tum æquivalenter id, sine quo nequit dari ta-
lis actus; sed peccatum furti v. g. dari potest
absque Dei destructione: ergo &c. Confi-
matur 3. Licet peccatum veller formaliter Dei
destructionem, non ideò haberet malitiam
Theologicam infinitam: ergo &c. Probatum
antec. malitia illius actus limitaretur à cog-
nitione proponente Deum, quæ esset finita, ut
Vos fatemini, clarèque constabit probatione
secunda; sed malitia limitata à cognitione fi-
nita nequit evadere infinita: ergo &c.

Confirm. 4. Malitia hujus actus ratione li-
mitationis non est tanta, quanta est magnitu-
do objecti: ergo &c. Probatum antec. malitia
physica illius actus, quo quis veller interficere
innumeros homines, non est infinita per Vos, sed
haberet objectum infinitum: ergo &c. Confi-
matur 5. Licet per dilectionem perfectam reddat ho-
mo Deo affectivè rationem ultimi finis, ejus-
que destructionem derestetur, non habet ille
actus bonitatem infinitam: ergo licet homo
per peccatum tollat affectivè à Deo rationem
ultimi finis, ejusque destructionem optet, non
habebit ille actus malitiam infinitam. Con-
firmatur 6. Ille actus nihil intrinsecè tolleret
à Deo, sed solum impediret extrinsecum hon-
orem in Deo sub gravi debitum, quo Deum
contemneret: ergo nequit habere malitiam in-
trinsecam simpliciter infinitam.

Respondebis, illum actum, quo vult homo
destruere Deum, graviorem esse, quàm illum,
quo vult Deum honorare, quæ major gravi-
tas aliunde desumi nequit, nisi ex eo, quòd
Deus sit subjectum & forma offensa, quin sit
subjectum, & forma obsequii. Contrà 1.
licet actus virtutum eò perfectiores sint, quò
perfectius est objectum, quòd attingunt, v. g.
actus charitatis est perfectior actu temperantia
Deum non attingente, per Vos objectum ac-
tus perfectioris non est forma sui actus præ
objecto actus imperfectioris: ergo licet sit gra-
vior actus inhonorans, quàm honorans De-
um, non erit Deus forma actus inhonorantis,
& purus terminus honorantis; contrà 2. licet
actus charitatis intensior sit perfectior remisso,
non est Deus forma intensi, & purus terminus
remissi: ergo pariter.

Licet apprehensio ignobilior sit judicio, ac-
tus humanus Angelico, Angelicus Divino circa
idem objectum, non sumitur ex eo, quòd ob-
jectum sit forma unius, & non alterius, sed à
diverso modo intrinsecò tendendi in objectum:
ergo licet actus inhonorans Deum sit gravior
honorante, non id desumetur ex eo, quòd
Deus sit forma unius, & non alterius, sed ex
diverso modo tendendi per inhonorationem,
quàm

quam per honorationem respectivè ad Deum.
 Contrà 4. Deus per Vos patitur offensam, sed non patitur seipsum: ergo non est forma offensæ.
 Contrà 5. Licet materia sit substantia formæ non est de constitutivo formæ, & licet forma rationalis sit subjectum suorum actuum, non tamen est forma suorum actuum: licet Deus sit objectum ergo offensæ, non ideò est forma offensæ.
 Confirmatur 6. Quòd dicitur Deus inhonoratus ab offensa, & illam valorans, per Vos solum arguit, quòd Deus sit objectum offensæ: ergo quòd dicitur honoratus à dilectione, & illam valorans, solum arguet, quòd Deus sit objectum dilectionis.

348. Prob. 2. Dato, & non concesso, quòd Deus sit forma offensæ, non redderet offensam simpliciter infinitam: ergo &c.
 Probatur antec. infinitudo Dei non est forma offensæ, ut est in se (aliter cum Deus sit semper idem, omnes offensæ semper essent æquales, quod dici nequit ex num. 339.) sed juxta mensuram geometricam cognitionis; atqui Deus, ut cognitus nequit reddere offensam simpliciter infinitam: ergo &c.
 Prob. min. Deus, ut cognitus limitatur per cognitionem, sed limitatur per cognitionem nequit offensam constituere simpliciter infinitam: ergo &c.
 Major patet, quia Deus, si nullo modo cognoscatur, nullo modo offenditur, & cognitus per cognitionem levem solum leviter offenditur, & per gravem graviter, quia limitatur ad cognitionem.
 Min. probatur. Cognitionis non solum est finita, sed etiam in gradu inferiori ad inhonorationem, & offensam: ergo, ut Deus infinitus proportionally limitetur per cognitionem ordinis inferioris ad ipsum, neque manebit in linea infinita, qualis est in se, neque in linea ordinis inferioris, qualis est cognitio, sed in linea Superiori gravi media inter inferiorem & infinitam, quæ quidem est proportio geometrica: ergo &c.

349. Respondebis ex Gonet Deum media cognitione finita constituere offensam infinitam, sicut media cognitione ordinis inferioris constituit per nos offensam ordinis Superioris, & sicut personalitas verbi constituit meritum simpliciter infinitum cum suis actibus limitatis à principio effectivo finito.
 Contrà tamen, & in primis, ut infra constabit, exemplum personalitatis verbi non venit ad rem; primò quia personalitas se habet ex parte principii meritorii, quod ut operetur non opus est, ut cognoscatur, ut patet in gratia justificante; justus enim supernaturaliter, etiam liberè operans in via revera meretur, quamquam non cognoscat se esse in gratia, ac proinde gratia, quæ est forma meriti puræ creaturæ, vel Persona Divina, quæ est constitutiva meriti Christi, non limitatur à principio productivo creato actus condignificandi, neque ab illius dignitatis cognitione; cum principium productivum creatum, ejusque dignitatis cognitio sit extra constitu-

tivum meriti Christi, ut cum omnibus faretur Gonnet.

350. Contrà 2. Quia personalitas verbi, ut est in se constituit meritum, cum communicetur merito, ut est in se, ideòque licet unio moralis & actus sit finitus confurget mei tum simpliciter infinitum; hæc etenim est diversitas inter actum, & meritum, etenim actus cum non includat personalitatem, ut est in se, sed hæc ei adveniat media Unione morali, manet semper in se finitus; at verò meritum utpote ex actu, & personalitate, ut etiam in se confurgens includit personalitatem, ut est in se, quæ cum in se sit simpliciter infinita, erit etiam meritum simpliciter infinitum; sic humanitas Christi non manet simpliciter infinita, quia solum habet personalitatis communicationem media unione finita; at verò compositum Christi includens personalitatem, ut est in se manet simpliciter infinitum; nihil enim ex his reperitur in offensa, quandoquidem Deus, ut est in se non unitur moraliter actioni offensivæ, sed ad summum, ut limitatur per cognitionem, ut constat à num. 348. aliter, sicut merita Christi sunt æqualia, essent æquales omnes offensæ, quod fallum est, & sicut personalitas non cognita meritum constituit, Deus etiam non cognitus constitueret offensam, quod negant omnes, & ipse Gonnet; hinc

351. Necessè est, ut Gonnet ad primum argumentum confugiat, contra quod insurgo primo, offensa non limitatur arithmetice ad mensuram cognitionis: ergo licet cognitio sit in ordine inferiori respectivè ad Deum, constitueret offensam in ordine Superiori.
 Probatur antec. homo eadem cognitione instructus potest elicere obsequium, vel offensam Dei, sed apud omnes gravior reputaretur offensa, quam obsequium factum Deo in illis circumstantiis: ergo quia Deus non limitatur arithmetice, sed geometricè ad mensuram cognitionis; secundo eatenus limitatur Deus per cognitionem quatenus cum illa constituitur conjunctum ex cognitione, & entitate, seu carentia actus peccaminosa, sed illud conjunctum etsi finitum est in ordine Superiori, ut per se patet: ergo licet cognitio sit per se infinita, & ordinis inferioris, Deus limitabitur per illam etsi finitè ad ordinem Superiorem.

352. Contrà 3. Licet cognitio secundum se sumpta sit ordinis inferioris, & carentia rectitudinis debita, seu actus pravus, quo non adimpletur præceptum, secundum se sumptus sit etiam ordinis inferioris, tamen conjunctum ex tali actu, & cognitione est ordinis superioris: ergo si Deus limitatur per cognitionem conjunctam, cum tali actu limitabitur ad ordinem Superiorem; conseq. tenet, antec. patet, quia licet facere contra præceptum Dei sine cognitione præcepti non sit mortale v. g. comedere carnes die Veneris, si invincibiliter ignoretur esse diem Veneris, nec cognoscere esse diem Veneris sit mortale, si non comedatur car-

carnes die Veneris, tamen cognoscere diem Veneris esse, in quo prohibetur comestio carniū, & comedere cum hac cognitione carnes est peccatum mortale: ergo licet illa cognitio seorsim à comestione carniū, & comestio carniū seorsim à cognitione non sint in linea superiori, tamen illa cognitio simul cum comestione, & illa comestio cum illa cognitione erunt in linea superiori, atqui licet illa cognitio seorsim à comestione, & comestio à cognitione non sunt peccatum mortale, comestio tamen simul cum cognitione, & cognitio cum comestione erunt peccatum mortale: ergo licet seorsim acceptæ non sint in linea superiori, erunt tamen acceptæ conjunctim: ergo licet Deus per cognitionem in illo conjuncto non limitetur infinitè, quia conjunctum illud non crescit sine fine, cum crescat ex cognitione, & affectu, quæ duo simul sumpta finita sunt, tamen limitabitur ad lineam superiorem, ex quo conjunctum illud crescit ad lineam superiorem, licet finitam.

353. **Contra 4.** Deus limitatur per cognitionem juxta mensuram suæ displicentiæ; sed Dei displicentia respectivè ad offensam est finita, & in ordine superiori; ergo &c. Major constat; quia offensam non est gravior, quàm Deo displicens; min. verò probatur: displicentia divina de malitia offensæ reflectit supra displicentiam de malitia objectiva; ergo quo major est displicentia de malitia objectiva, eò major est displicentia de malitia Theologica; plus enim Deo displicet offensam perfidæ infidelitatis, quàm offensam furti cum aliquali necessitate; quia gravior est, ut per se patet in ea infidelitate malitia objectiva, quam in tali furto, supra quam reflectit displicentia de Theologica malitia; atqui, si offensam esset simpliciter infinita, non posset Deo displicere magis una, quàm alia: ergo non est simpliciter infinita, ac proinde manebit ratione divinæ inhonorationis in linea superiori finita.

354. **Dices,** constitui in ordine superiori infinito; quia displicentia est actus Dei, & omnes actus Dei sunt infiniti. **Contra tamen 1.** Ex eo, quòd in conjuncto ex actu creato, vel carentia rectitudinis debita, & advertentia ad jus Dei ster ratio offensæ, ut probavimus num. 341. displicentia divina, licet sit entitativè infinita; at objectiva limitatur arithmetice ad gradum illius conjuncti, sed tale conjunctum, ut per se patet, est finitum, licet sit ordinis superioris, & grave: ergo displicentia Dei objectivè, sive respectivè ad illud conjunctum erit finita, licet sit gravis, & ordinis superioris. **Probat. maj.** Licet displicentia divina de veniali sit entitativè infinita, quia tamen veniale est finitum, & leve, illa displicentia respectivè ad veniale est finita, & levis: ergo pariter. **Contra 2.** Ut fatetur Gondoy, Gonnet, & Contenson, offensam limitatur, ne sit major alia ab objecto, intensione actus, aliisque circumstan-

tiis: ergo potius limitabitur à cognitione creata, & displicentia divina.

Respondetis ex Gonnet, offensam non limitari, sed esse moraliter infinitam, quia habet vim moraliter infinitam, quæ infertur ex pena infinita, quam promeretur. **Contra 1.** Angelum, & animam rationalem exigere durationem infinitam ex natura sua, & per infinitam durationem operari physicè, non arguit per vos Angelum, & animam rationalem habere vim, & virtutem infinitam physicè, sed solum arguit virtutem finitam physicè exigentem ex natura sua extendi per infinitam durationem: ergo offensam ex natura sua exigere durationem infinitam, & per durationem infinitam operari moraliter, non arguit, offensam habere vim, & virtutem moraliter infinitam, sed virtutem moraliter finitam exigentem ex natura sua per infinitam durationem.

Contra 2. Licet offensam esset infinita, produceretur per vos ab anima finita: ergo licet pena sit infinita, causari potest ab offensam finita. **Contra 3.** Licet opera supernaturalia iusti mereantur Premium infinitum, non habent per vos virtutem moraliter infinitam: ergo pariter. **Contra 4.** & à priori. Causa moralis, sive meritoria, sive demeritoria, in eo distinguitur à physica, quòd non operetur per suam vim moralem, sed per suam compossibilitatem, ut patet in meritis; sed offensam finita nequit satis compensari, nisi per penam in duratione infinitam; siquidem manebit per totam æternitatem: ergo licet sit finita, merebitur penam infinitam. **Contra 5.** Licet Angelus naturaliter exigat durationem infinitam, non est infinitus: ergo licet offensam naturaliter exigat penam infinitam, non tamen est infinita.

Respondet ultimò Gonnet, gravitatem personalem offensæ utpote sumptam ex parte Dei, æqualem esse pro omnibus, licet inæqualis sit malitia non personalis, nec accepta ex parte Dei, sed ex aliis capitibus, sicut valor personalis operum Christi est in omnibus æqualis, licet valor objectivus inæqualis sit; hæc tamen solutio, ni fallor, pejor est omnibus aliis: ideòque **contra 1.** Deus non constituit offensam, sicut personalitas Christi constituit meritum, ut constat manifestè ex num. 348. hæc igitur solutio nulla est. **Contra 2.** Si gravitas offensæ in omnibus æqualis esset ex parte Dei, à quo sumitur infinitudo, & inæqualis ex parte objecti, à quo infinitudo non desumitur, sicut valor operum Christi æqualis est omnibus ex parte personalitatis, ex qua sumitur infinitudo, & inæqualis ex parte objecti, ex qua infinitudo non desumitur, tam infinita esset offensam, ac sit infinitus valor operum Christi, ut per se patet; sed hoc dici non potest, aliter cum Christus per brevissimum suæ vitæ tempus non potuerit elicere tot actus, quot peccata elicerunt omnes homines, non satisfecisset condignè pro omnibus peccatis; ergo &c.

Affero 3. contra Bernal. Offensam non est infinita

finita ratione vilitatis creaturæ offendentis, & ut clarior apparet conclusio nostra, nota vilitatem creaturæ utpote entitativam stare in intrinsicis creaturæ prædicatis distantibus ab infinita perfectione Dei consideratâ distantia ex parte creaturæ ad Deum; nam sumpta distantia ex parte Dei ad creaturam non esset vilitas, sed summa dignitas entitativa Dei; sic distantia localis, quæ inter Cælum, & terram intercedit, sumpta à terra ad Cælum vocatur distantia sursum, & sumpta à Cælo ad terram, vocatur deorsum; quia terra est locata deorsum, Cælum verò sursum, & superius; sic etiam DEUS est superior, seu entitativè infinitus; creatura verò inferior, & entitativè finita. Unde vilitas creaturæ entitativa, utpote secum ipsa identificata erit finita in se, & respectivè ad Deum, & dignitas Dei erit in se, & respectivè ad creaturam infinita. Cæterum præter entitativam, & intrinsicam distantiam datur alia extrinseca; sic Deus est terminus extrinsecus creaturæ, & creatura est terminus extrinsecus Dei; quæ in utroque dicitur potest aliquo modo infinita, negativè tamen in creatura, prout caret infinita perfectione Dei, positivè verò in Deo, prout per suam virtutem infinitè superat creaturam. His positis

offendente, non habet infinitam malitiam Theologicam; ergo &c. Confirmatur 2. Peccatum veniale, cum sit creatura, etiam esset infinitè vile; atqui non includit infinitam malitiam Theologicam: ergo &c.

Respondebis ex Bernal, peccatum veniale non includere vilitatem personæ offendentis; quia rigorosè non est offensa Dei. Contrà tamen 1. Licet non includat vilitatè personæ, includit tamen vilitatem ipsius peccati, quæ juxta sua principia non minus infinita est, quàm vilitas personæ offendentis, cum ambo conveniant in ratione creaturæ infinitè à Deo distantis; sed per te non habet malitiam Theologicam infinitam: ergo &c. Contrà 2. Licet peccatum veniale non sit strictè offensa Dei, est tamen actus in se strictè malus, & peccaminosus, & reverà peccatum; atqui ex tuis principiis ex titulo creaturæ continet vilitatem infinitam constituentem actum peccaminosum: ergo juxta tua principia peccatum veniale est infinitum. Ex dictis

Fit 1. Offensam Dei nullam includere rigorosam infinitudinem, neque physicam, neque moralem. Ratio est, quia si aliquam includeret, vel esset desumpta ex parte Dei, vel creaturæ, vel offensæ consideratæ in ordine ad affectivam destructionem Dei, vel in ordine ad poenam, quam promeretur peccator; sed ex nullo ex his capitibus desumitur: ergo &c. Fit 2. Offensam Dei solum esse secundum quid infinitam, prout infinitudo secundum quid significat habere objectum infinitum, à quo sumit gravitatè geometricam, seu finitam in supremo ordine offensæ, sive inhonorationis divinæ, & hoc est non habere rigorosam, sed aliquam solum infinitatem; sic loquitur Exim. Doctor disp. 4. sect. 7. §. hinc constat, juxta doctrinam Div. Thomæ num. 341. proportio autem geometrica in eo stat, quod Deus representatus in cognitione apparet in ea nobilior quacunque creatura, quamvis ea representatio in cognitione non sit tanta, quantum est ipse Deus: sic imago hominis relucens in speculo representata est nobilior imagine canis representati in speculo; at ea representatio hominis in speculo, non tam excedit representationem canis, quantum ipse homo excedit canem. Unde testimonia in contrarium allata intelligenda sunt juxta explanationem istam, ne sibi S. Doctor contrarius esse videatur.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

Objicies 1. contra primam, & secundam assertionem ex Gouet disp. 9. de peccat. num. 141. ratione, ut ipse ait, fundamentali. Gravitas offensæ crescit juxta dignitatem personæ, cui irrogatur, sed persona per peccatum mortale offensa, scilicet Deus, est dignitatis simpliciter infinitæ; ergo peccatum mortale in ratione offensæ est gravitatis simpliciter infinitum.

N n fini

319. Probatu nuac conclusio 1. Vilitas personæ offendentis non includitur formaliter in offensa: ergo &c. Probatu antec. Vilitas personæ, utpote cum ipsa persona identificata, solum est principium activum: ergo non est constitutum formale. Confirmatur 1. ex iis, quibus num. 341. probavimus, Deum non esse formam offensæ; nam ipsissimæ rationes militant utrobique. Confirmatur 2. Licet Vilitas entitativa creaturæ esset constitutiva formaliter offensæ, non ideo offensa esset simpliciter infinita: ergo &c. Probatu antec. Vilitas entitativa creaturæ ita est finita, ut, quod magis creatura distat à Deo, magis vilis, limitata, & finita sit; sed vilitas adeo finita nequit constituere offensam intrinsicè infinitam: ergo &c. Major, & consequentia tenent; min. patet; quia quod constituit totum aliquod intrinsicè, non aliter illud constituit, nisi se ipsi toti communicando: ergo vilitas finita se communicat finitè, ac proinde nequit constituere offensam infinitam.

360. Probatu 2. Licet vilitas creaturæ esset aliquo modo infinita, non posset constituere offensam in ratione offensæ infinitam: ergo &c. Probatu antec. Vilitas, & malitia offensæ in ratione offensæ est Theologica, vilitas entitativa creaturæ in ratione creaturæ est physica; sed vilitas physica, ut physica est, nequit intrinsicè constituere vilitatè, & malitiam Theologicam in ratione Theologicæ: ergo &c. Maj. & consequentia tenent; min. patet, quia quod constituit, intrinsicè constituit, ut est in se. Confirmatur 1. Ipse actus, qui est intrinsicè offensa, ut contradistinctus à persona offendente, etiam esset infinitè vilis, cum etiam sit creatura; sed per se ipse actus, ut contradistinctus à persona

finitæ; sed quis non videt, ex dictis fundamentum penitus evulsum. Retorqueo argumentum: bonitas actûs cæteris paribus cre- scit juxta bonitatem objecti, quod attingit; at- qui actus charitatis attingit bonitatem simplici- ter infinitam, scilicet Deum: ergo actus chari- tatis in ratione boni est bonitatis simpliciter in- finita. Respondeo deinde dist. maj. crescit proportione arithmetica cum persona offensa, nego, proportione geometrica, conc. maj. & concessa min. nego. conseq. hoc est, ita crescit illa offensa ratione Dei, ut superet omnes alias offensas factas contra personas inferiores Deo ex dictis à num. 268. sed non ita crescit, ut ex- cedat alias offensas, sicut excedit alias perso- nas, cum infinita dignitas Dei limitetur à cog- nitione imperfecta.

364. Objicies 2. instando solutionem ex Gonner: persona offensa ex se non est minus potens dare infinitatem simpliciter, quam superioritatem ordinis offensæ sibi irrogatæ; atqui ex parte of- fensæ non est assignabilis ratio, cur unum, & non aliud participet: ergo &c. Confirmatur 1. Licet conatus, & cognitio peccantis sint in ordine inferiori, possunt dare offensæ gravita- tem ordinis superioris: ergo licet sint in or- dine finito, possunt dare offensæ gravitatem or- dinis infiniti. Confirmatur 2. Licet actus me- ritorij Christi sint in genere entis finiti, & li- mitati, limitatio illa non obstat, quò minus à persona verbi trahant dignitatem, & valorem infinitum, ut præter Scotum omnes ferè Theo- logi fatentur: ergo quamvis conatus, & cog- nitio peccatoris sint in esse physico finiti, hoc non obstat, quò minus trahant à Deo gravitatem offensæ moraliter infinitam. Hæc sunt argu- menta Gonneri.

365. Retorqueo 1. argumentum in actu charitatis ex dictis num. 363. Deinde respondeo permit- to maj. quæ valde dubia est; primò, quia, ut plures volunt, ut offensa sit simpliciter infinita, requiritur in peccatore cognitio cognoscens De- um, quantum cognoscibilis est, & cum hæc repugnet ex parte Dei, nequibit Deus ex se da- re offensæ infinitatem moralem simpliciter in- finitam; secundò, quia saltem ad offensæ infi- nitatem requiritur cognitio, & conatus infini- tus supra vires naturales puræ creaturæ, quo- rum impossibilitatem propugnant ferè omnes Theologi, nec improbat ipse Gonner, ne dica- tur specialis causa peccati, imò cum illa cog- nitione non potest fortasse pura creatura peccare, cum infinite repræsenteret summam bonita- tem, sicut nunc non possunt peccare Beati: ma- jori tamen permessa, nego min. quia juxta num. 341. DEUS limitatur à cognitione, ne com- municet offensæ gravitatem infinitam.

366. Ad primam Confirmationem respondeo, nego consequentiam; quia, ut constat à n. 351. Deus non limitatur arithmetice, sed geometri- ce per cognitionem; alias omnes offensæ essent æquales, quod est contra Christi doctrinam da- tam num. 339. unde poterit constituere offen-

sam in ordine superiori, & non in ordine infi- nito. Respondeo 2. dist. antec. si sint in ordi- ne inferiori seorsim sumptæ, conc. simul sum- ptæ, nego suppositum antecedentis ex num. 352. & nego consequentiam; quia simul sum- ptæ sunt in ordine superiori; nam constituunt peccatum mortale, & sunt in linea inhonorati- onis divinæ. Cæterum exinde non sunt in li- nea infinita adhuc simul sumptæ; quia cog- nitio non est infinite intensa, neque actus trans- grediens præceptum est infinite intensus, neque seorsim, neque conjunctim cum alio; & ratio ulterior est, quia ex eo, quòd Deus non dispi- ceat graviter in illis actibus seorsim sumptis, licet non evehat illos actus seorsim sumptos, ut sint in linea superiori, reddit tamen conjun- ctum illorum in linea superiori: at verò Deus non dat illis actibus majorem affectionem, & expressionem conjunctim, quam seorsim; cum expressio, & affectio sit realiter identificata cum actibus consistentibus in ipsorum natura physica, quæ semper est eadem, ac proinde nec con- junctim, nec seorsim possunt pervenire ad line- am infinitam.

Ad secundam Confirmationem nego antec. maxima enim æqui vocatione laborat hic Gon- ner: etenim actus Christi Domini ex sua enti- tate non sunt infiniti, licet sit infinitum conjun- ctum ex actu, & personalitate Verbi illud condignificante, in quo conjuncto fiat meritum sim- pliciter infinitum, eò quòd personalitas, ut est in se, constituit illud conjunctum, ut proprium divinæ personæ, Deus autem, ut est in se, non constituit offensam, nec ista est actio propria personæ divinæ, sed ad summum Deus ut cog- nitus dat extrinsecam gravitatem offensæ, quæ- tenus proportionatur geometricè ad mensuram cognitionis, cumque in hac acceptione non maneat offensa simpliciter infinita, exinde non potest Deus reddere eam offensam simplici- ter infinitam; aliter si Deus, ut est in se, con- stitueret offensam, modo, quo personalitas, ut est in se, constituit meritum Christi Domini, tanta esset quævis offensa, quantum esset quod- libet meritum; unde una non esset major aliâ contra doctrinam Christi Domini num. 339. nec Christus satisfecisset condignè pro omnibus peccatis, cum non eliceret tot actus, quæ pe- trata sunt peccata.

Objicies 3. Ex eodem Gonner. Ex eo, quòd satisfactio Christi gaudeat vi satisfactio- ria sufficiente pro culpis syncategorematicè in- finitis, continet valorem simpliciter infinitum in ratione meriti: ergo ex eo, quòd peccatum gaudeat vi meritoria pœnarum syncate- gorematicè infinitarum, continebit gravita- tem in ratione offensæ simpliciter infinitam. Confirmatur 1. Ut satisfactio Christi conti- neret illam vim satisfactoriam, non sufficeret, quòd esset ordinis Superioris ad offensas, sed necessariò requiritur, quòd sit ordinis infini- ti: ergo pariter in peccato respectu pœnarum. Confirmatur 2. Effectus physice infinitus ne- quit

quit contineri in causa finita, aliter omnipotentia esset infinita, ex eo, quod continetur effectus sine termino: ergo pariter, ut effectus moraliter infinitus contineatur in aliqua causa, non sufficit, quod illa sit ordinis superioris, sed necessario exigitur, ut in ratione moris sit simpliciter infinita.

369. Retorqueo argumentum in actu charitatis, ex n. 362. Deinde resp. nego ant. seu causalem illam ex eo, quia meritum Christi non continet valorem simpliciter infinitum ex eo, quod possit satisfacere pro culpis syncategorematicè infinitis; aliter Angelus potens physicè producere in æternum actus syncategorematicè infinitos, contineret virtutem, & perfectionem infinitam, quod cum omnibus negat ipse Gonnet; meritum enim Christi Domini continet valorem simpliciter infinitum: quia constituitur ex actione Christi, & personalitate Verbi, ut est in se, quæ cum in se sit simpliciter infinita, constituit meritum simpliciter infinitum, at Deus, ut est in se, non est de formali offensæ constitutivo, sed est objectum, quod à creatura offenditur. Ad Confirmat. dist. antec. si posset esse ordinis superioris, quin esset ordinis infiniti, nego, si non posset conc. antec. & nego conseq. quia, ut constat à num. 286. offensa licet finita, ita gravis est, ut non possit compenari à creatura, sed ab homine Deo, cum autem meritum Hominis Dei sit simpliciter infinitum, exinde satisfactio continens vim condignè satisfactoriam talis offensæ, arguitivè inferitur simpliciter infinita.

370. Cæterum, si per impossibile fingeretur meritum ordinis superioris ad offensam, quin esset simpliciter infinitum, sed finitum, adæquate satisfaceret pro offensa, cum actus ordinis superioris abundanter æquivalent infinitis actibus ordinis inferioris, ut constat ex num. 273. Hanc eandem doctrinam solutionis nostræ sui immemor defendit Gonnet disp. 4. de Incarnat. num. 46. docens iuste peti à Deo satisfactionem Christi pro peccatis, licet hæc sit superabundans, quia non est possibilis satisfactio solum æqualis, quia duntaxat satisfacere potest Persona divina, quæ superabundantem satisfactioem exhibebit necessario, imò num. 33. ut hanc doctrinam accuratè defendat, reddit cum Godoy disparitatem, quàm nos assignamus inter offensam & meritum Christi, ait enim Deum per unionem physicè limitari ad gravificandam offensam quàm limitetur per unionem physicam mediatam ad dignificandas actiones Christi; unde cum illa unio fundetur in cognitione peccatoris, veli, nolit, tenetur Gonnet fateri ad gravificandam offensam limitari à cognitione creata, quæ cum finita sit, adhuc in consortio actus pravi licet sit ordinis superioris reddet offensam finitam, & ordinis superioris.

371. Ad secundam confirmationem dist. antec. effectus physicè infinitus nequit contineri in causa physicè finita modo infinito, conc. modo finitæ. R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

to nego ant. & conseq. nam Angelus in æternitate à parte post continet virtutem productivam actuum, syncategorematicè infinitorum, quin sit infinitus; contineri autem modo finito in eo stat, quod causa, ut causa non habeat in se prædicatum infinitum, sed finitum; contineri autem modo infinito stat in eo, quod causa, ut causa constituatur ex aliquo prædicato infinito, ut omnipotentia constituitur ex prædicato divino, quod infinitum est, & se ipso absque dependentia ab altero omnia potest, quod certe in actu peccaminoso non ita contingit; unde meritum Christi eatenus est simpliciter infinitum, quatenus constituit personalitatem Verbi simpliciter infinitam.

372. Obijcies 4. Ex aliis Thomistis. Illa offensa est simpliciter infinita, qua Deus offenditur quantum offendibilis est, sed per peccatum mortale offenditur Deus, quantum offendibilis est: ergo &c. Probat. min. Deus non aliter offendi potest, quàm auferendo ab ipso rationem ultimi finis, eamque constituendo in creatura, sed hoc ipsum invenitur in quocunque peccato mortali: ergo &c. Hoc argumentum inquit Gonnet, nihil valet, quia retorcionem patitur in actibus charitatis, quàm sic format. Deus non est aliter diligibilis, quàm si præponatur creaturis, & super omnia diligatur, sed hoc fit per quemlibet actum charitatis: ergo &c. Nec refert, quod per unum actum Deus diligatur intensius, & per alium remissius; at hæc ratio non quidem Adversariis, sed nobis faver, unde respondeo, nego min. ad probat. dist. maj. quàm auferendo ab ipso rationem ultimi finis magis, vel minus intensè ad limitationem cognitionis vel affectus saltem creati conc. semper æqualiter, & absque limitatione, nego maj. & dist. min. nego conseq. quæ ut constat ex dictis, nulla est.

373. Obijcies 5. Ex aliis actio per se destructiva termini infinitè boni est gravitatis, & malitiæ simpliciter infinitæ, sed quodlibet peccatum mortale, quantum est de se, est destructivum Dei, qui infinitè bonus est: ergo &c. Major patet, quia actio destructiva adæquatur in ratione mali, cum non esse termini destruendi, quod est malum infinitum: ergo &c. Confirm. peccatum mortale meretur penam damni consistentis in privatione visionis beatificæ, aliorumque donorum, & cujuslibet beatitudinis possibilis, sed hoc est malum infinitum: ergo meretur penam infinitam, ac proinde erit infinitum; hujus argumenti imbecillitatem agnoscunt Adversarii, ut fateretur Gonnet num. 140. quod, ut pateat, retorqueo argumentum; non minus actus charitatis est de se ædificativus Dei, sed reddens Deo rationem ultimi finis, quàm peccatum mortale sit Dei destructivum, atqui peccatum est simpliciter infinitum: ergo etiam actus charitatis erit simpliciter infinitus.

374. Respondeo deinde nego maj. quia ex dictis num. 341. malitia ipsius actus limitatur à tenuitate cognitionis, unde manet finita; imò

ex dictis num. 344. minor etiam est falsa, ad probat. nego antec. ob eandem rationem. Ad Confirm. resp. 1. nego maj. quia privatio donorum superiorum potest solum esse positiva poena juxta eam proportionem, quam condigne mereretur homo, si non peccaret, cum autem participatio bonorum esset intensivè infinita, nequit peccatum mortale mereri poenam simpliciter infinitam, sed infinitam solum exigentem extensionem syncategorematicè infinitam, quod non arguit infinitatem, ut patet in merito exigente extensionem præmii syncategorematicè infinitam; sic licet peccatum veniale faciat hominem indignum unione hypostatica, illumque priver gloria, dum non remittitur, non est tam malum, quam bona sint gloria, & unio hypostatica, idèdque duntaxat potest esse poena positiva ipsius, quod proportionaliter responderet illi malitiæ; quamobrem carentia boni non est semper tantum malum, quantum est bonum, quod impedit, aliter beati carentes Unione hypostatica, & infinitis donis supremis possibilibus paterentur malum simpliciter infinitum, unde carentia alicujus boni solum reputaretur absolute mala juxta eum gradum, quo aliquem absolute privat sua felicitate, at juxta alios gradus non est absolute mala positivè, sed minus bona.

375. Exinde carentia unius actus gloriæ dicitur absolute mala damnatis, quia eos absolute privat sua felicitate, at illis, qui habent unicum duntaxat gradum gloriæ, carentia aliquorum graduum non dicitur absolute mala, sed minus bona, imò, ut advertit Exim. Doct. disp. 4. sect. 3. nequit esse absolute mala privatio donorum, quæ licet non extitisset peccatum, extitura esset, ut carentia unionis hypostaticæ, aliorumque donorum; unde ea privatio, quæ poena est positiva, meriti debet juxta gradum gravitatis peccati, attenda etiam majori spe, & possessione; idèdque majus est malum auferre dignitatem à possidente, quam à non possidente, & ab habente, quam à non habente spem illam acquirendi. Omitto argumenta aliorum probantium infinitatem offensæ, ex eo quòd potius deberemus eligere, carere peccato, quam habere infinita dona superna, hoc enim non desumitur à majori gravitate, sed ex eo quòd Deus semper habeat jus ne illi duplicemus, idèdque potius debemus eligere carere veniali, quam habere infinita dona superna, quin exinde veniale infinitum sit.

376. Ob. 6. Deus est forma offensæ, atqui simpliciter infinitus est; ergo offensa est simpliciter infinita. Probat major, Deus est subjectum morale offensæ, sed subjectum morale offensæ est forma offensæ: ergo &c. Probat major, ex eo, quòd Deus ex affectu hominis patitur offensam, offendens vult Deum sibi subicere, & Deus gravificat offensam plusquam obsequium; sed in hoc stat, quòd Deus sit subjectum, & forma offensæ: ergo &c. Resp. nego maj. ad probat. conc. maj. & nego min. quia etiam

materia prima est subjectum formæ, & non est forma formæ, & Deus est subjectum morale actus charitatis, & non est forma illius, quin potius licet permitteretur, quòd Deus esset forma offensæ non quidem, ut est in se, sed ut limitatus per cognitionem eo ipso, quòd ut cognitus non est infinitus, adhuc in eo calat, ut esset forma offensæ non esset, infinitus, ut constat à num. 398.

Objicies 7. Contra tertiam assertionem vilitas Personæ offendens est forma offensæ, atqui est simpliciter infinita; major constat, quia valor meriti desumitur in Christo à sua personalitate, & in creatura ad gratiam justificantem: ergo etiam valor demeriti desumitur à personæ vilitate. Min. probatur vilitas persona non est aliud, quam distantia illius à Deo, sed hæc distantia est simpliciter infinita: ergo &c. Confirm. tanta est arithmetice vilitas creaturæ, quanta est dignitas Dei, cum tantum superetur creatura à DEO, quantum Deus superat creaturam; sed dignitas, & excessus Dei est simpliciter infinitus: ergo &c. Retorqueo argumentum vilitas offendens est forma offensæ sed venialiter peccans est vilitatis simpliciter infinitæ: ergo peccatum veniale est simpliciter infinitum.

Respondeo deinde nego maj. ad probationem conc. antec. nego conseq. quia meritum est opus supernum Deo gratum, quòd non datur sine gratia substantiali, vel accidentali, at vero demeritum est opus ingratum, quòd tale est, quin in eo opere includatur Persona offendens. Resp. 2. omissa maj. nego min. ad probat. dist. maj. nihil est aliud, quam distantia entitativa, & intrinseca conc. extrinseca, est negativa, nego maj. & dist. min. nego conseq. Ad confirmat. nego maj. quia licet sit eadem distantia, qua superior distat, ab inferiori est tamen diversimodè sumpta; nam ex parte superioris infiniti est intrinseca, & infinita perfectio, ex parte vero inferioris finiti est perfectio finita & limitata; unde licet ea distantia quidditative sumpta includit aliquid infinitum, denominativè accepta ex parte creaturæ est quid infinitum, & limitatum; cumque hoc duntaxat modo identificetur cum creatura, exinde vilitas cum creatura identificata est tantum finita, non verò infinita: nec venit ad rem exemplum de via locali: eadem est via, quæ ducit Athenis Thebas, & quæ Thebis Athenas; nam hæc via est utriusque extremo extrinseca: quin potius argumentum istud est extra rem præsentem, de qua hic agimus; nam nunc non agimus de vilitate physica, sed morali quæ consistit in malitia morali, & quæ ex nullo capite potest in offensa reperiri simpliciter infinita.

Objicies 8. Offensa contra Deum superat offensam factam contra quemcumque hominem eo modo, quo Deus ipse superat hominem, atqui Deus superat hominem quasi gradibus infinitis: ergo &c. Major prob. sicut Deus superat

superat infinitas Personas posibles intermedias inter Deum, & hominem, ita etiam offensa facta contra Deum superat offensas infinitas factibiles intermedias: ergo &c. Confirmatur si Personæ infinitæ possibiles, ita se excedant, ut prima Persona esset perfecta, ut unum, secunda, ut duo, tertia, ut tria, & sic de reliquis consequentibus, ex hypothesi, quod omnes, & singulæ istæ Personæ offendi possent cognitione, & odio, ut quatuor, tunc offensa contra Personam primam erit offensa mala, ut unum, contra secundam, ut duo, contra tertiam, ut tria, & sic de reliquis in infinitum, argui Deum infinitè superat has omnes creaturas: ergo &c.

30. Retorqueo argumentum primò peccatum veniale terminans displicentiam DEI superat omnia alia venialia peccata terminantia displicentiam creaturarum infinitarum proportionaliter se excedentium: ergo peccatum veniale est infinitum. Retorqueo secundò, quo perfectius est objectum eo perfectior est actus, sed Deus superat objecta creata prohibita se excedentia in infinitum: ergo actus charitatis factus erga Deum excedit alios actus se excedentes in infinitum, ac proinde iste actus charitatis factus erga Deum erit infinitus. Retorqueo 3. homo superat infinitas creaturas intermedias possibiles inter ipsum hominem, & formicam, v. g. sese proportionatè excedentes: ergo homo est perfectionis infinitæ; similiter etiam retorqueri potest hoc modo; inter hominem, & Angelum dantur creaturæ possibiles se excedentes in infinitum: ergo offensa facta contra Angelum, excedit infinitè offensam factam contra hominem, ac proinde erit infinita. Unde

31. Resp. dist. maj. superat modo geometrico conc. maj. arithmetico nego maj. & conc. min. nego conseq. ad probat. nego antec. vel potius ly *sicut*, quia Deus superat seriem infinitam creaturarum modo simpliciter infinito, cum formaliter, vel æquivalenter contineat perfectionem omnis generis, qua major alia esse non potest: at verò offensa commissa adversus DEUM non superat illam seriem infinitam creaturarum modo infinito, sed finito prout scilicet est in linea superiori ad illas, quæ superior linea per infinita inferiora infinitis vici-

bus multiplicata adæquari nequaquam potest, sicut non potest adæquari vi meritoria unius actus supernaturalis per infinitos actus naturales, nec magnitudo unius peccati mortalis per infinita venialia; sic enim, & non aliter superat unum lethale contra Deum seriem peccatorum contra creaturas, & quidem una offensa, nec formaliter, nec virtualiter contra omnes alias offensas contra Deum; aliter esset simpliciter infinitè mala, sicut Deus est simpliciter infinitè bonus, quod manifestè repugnat ex dictis num. 339. idcirco excessus ille in offensa nequit esse arithmeticus, ut est in Deo, sed geometricus.

Ad confirmationem omitto maj. quæ falsa est, cum repugnet à parte rei infinitum categorematicum, nego min. quia excessus illarum offensarum non esset per additionem gradus ad gradum, sed quatenus una offensa est major alia ratione lineæ superioris, in qua constituitur relatè ad alias; hæc enim doctrina est adeò certa, ut neque ipsi Adversarii possint illam negare; sic dicimus amorem divinum elicirum erga Deum esse perfectiorem amorem, ut unum elicirum circa creaturam, non quidem ex eo, quòd unus habeat plures gradus, quàm alius, sed ratione nobilioris objecti est ordinis superioris relatè ad alterum; sic etiam offensæ illæ factæ contra Personas digniores erunt graviores aliis, non quidem, quia habent plures gradus, quàm aliæ, sed quia juxta superioritatem geometricam Personæ sunt in ordine superiori; hoc tamen est discrimen inter offensam factam contra creaturas, & factam contra Deum, quia creaturæ, cum sint limitatæ, non superant, quoad omnes perfectiones alteras creaturas, ideòque in his, in quibus æquales sunt, potest excogitari aliqua compensatio; at non ita relatè ad Deum, qui in omnibus infinitè superat creaturas; quare licet relatè ad aliquem respectum excogitari possit homo satisfaciens offensæ factæ contra Angelum, non tamen potest excogitari satisfactio satisfaciens offensæ factæ contra divinam majestatem: cæterum illationes, quæ ex ista doctrina consequuntur facilius, & commodius tradentur infra à num. 389

382.

* * *

DISPUTATIO X.

QUANTUS SIT VALOR, ET CONDIGNITAS SATISFACTIONIS IN MERITIS CHRISTI DOMINI?

32. **T**Ria præcipuè consideranda sunt in operibus dignificatis, seu in meritis Christi Domini, scilicet valor, satisfactio, & meritum: valor quidem respicit dignitatem, & sanctitatem status operantis. Meritum respicit præmium, seu retributionem: satisfactio respicit compensationem injuriæ, & in honorem Per-

sonæ offensæ vel de congruo, vel de condigno secundum qualitatem satisfactionis, quamobrem valor reperitur in omnibus Christi actionibus tam necessariis, quàm liberis; meritum vero, & satisfactio reperitur in solis liberis; exinde meritum Christi latius patet, quàm satisfactio; primò, quia ut infra dicemus, Chris-

N n 3

stus